400
82



QUÆSTIO MEDICA,

Quodlibetariis disputationibus manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis 26. Januarii 1713.

M. JOANNE BAPT. LE BRETHON.

DOCTORE MEDICO,

PRÆSIDE

An Vita Magnetismus?

I.

ELEMENTUM insiti motûs ferè conscium, supremæ signum & digitus Potentiæ, altissimæ arcanum Sapientiæ, corporeus mundi Spiritus, Jovis olim nomine laudatum, nunc Ætheris, non unum Cœli regnum occupat; sed in terras prono fertur vortice, unde novo spiritu allabente sursùm revolvitur. Hinc *Quod est superiùs esse sicut id quod est inferiùs* testatur ter magnus Hermes. Innuit his verbis Hippocrates: *Cùm turbata essent principia & in orbem circumvolverentur, multa calidi pars in terrâ conclusa est, alibi major, alibi minor, alibi valdè pauca, alibi copia multa.* Suus igitur est Neptuno Jupiter, suus & Plutoni; eoque quo sydera numine radiant, simul perennant Planetæ gyros, hoc ipso liquet mare & æstuat, assiduas ab irriguis fontibus volvunt undas flumina, nec suum deest telluri decus. Hinc profectò *plena jovis omnia.* Hic ubique spirat numen suum, & cunctis indit animam corporibus. Antiquior inde primùm terra collegit suam, ut sic Poëta:

Spiritus intùs alit, totamque infusa per artus
Mens agitat molem & magno se corpore miscet.

Nec suo carent spiritu rupes asperæ, saxa inhospita, tellus quos fovet sinu silices, ipsa marmora, nec omne metallorum genus. Liberiore quæ surgitis cœlo stirpes innumeræ, vos promit eadem & edûcat aura; sic vegetæ, flores fructusque funditis. Talem utique parentem spiritum agnoscitis vasti animantes pelagi, cochlearum & piscium agmina, cetorumque genus. Eodem reptant halitu serpentum species, sæviunt

immares feræ, eunt greges & armenta, ſublimem ducunt aërem volucres, namque

Igneus eſt cunctis *vigor & cœleſtis origo.*

An ſolus Homo, divini alioquî non expers numinis, nihil ab ortu æthereum tuliſſet? Iners, proh herclè, jaceret pondus, nec tot tam varios motus noſſet edere. Stupendo fabrefactus artificio inſitâ ab æthere animâ coaluit, crevit, adolevit. Anima hæc, motibus conſtans ſuis, vitæ fons & origo.

II.

SUBTILISSIMA ætheris materies, ut mole minima ſic virtute maxima, in cujuſque vorticis ſtellâ centrum habet; orbis ſolem noſtri ſtellam eſſe dixeris, vel aliorum ſtellas totidem ſoles. Hi circumquaque nitentium, puta aquæ primigeniæ, molecularum pondera, fluminibus radiorum aſſiduis, inſitâ motûs quantitate æquilibrare comparati ſunt. Ita ſol quiſque, orbis ſui verus Athlas, profuſis inter aquæ cœleſtis moleculas ſpiritibus geniali motu eaſdem ad circumfluendum determinat: ſed concitat eò celeriùs quò propior eas majori ſpirituum copiâ ſuperat, remiſſiùſque prout vaſto in corpore virtus radiorum magis diffunditur. Ad extremum quippe vorticis ampliſſimi limbum ut progreditur magis æthereus ſpiritus, in denſiores ſenſim impingit aquas, & nimiùm diviſis in creſcentem circulum copiis fatiſcit, tantæ molis impar ultra ſubmovendæ. Sic tandem librant cœleſtes aquæ ſolis impetum, inhibentque ne ad oram vorticis totus diffluat: quin, æmulo jamjam pondere, caſſos ſpiritus reflectunt, qui à ſubſequentibus in circulum abrepti obliquâ ad fontem ſuum feruntur viâ. Hâc lege mundi ducuntur vices, ut penſet quies motum, ut omnis motus ab æthere, mundi animâ, ſit. Inde rerum parens æther audiit, nulla quod eſſet abſque motu generatio. Animam nihil motu vacuum tulit, commotum & nihil animæ non index fuit. Tellurem rotat ſui moris anima quæ rotandi ſervat modum; ſuâ creſcunt animâ rupes, quæ famulatur rupium indoli; utique ſuâ vegetant foſſilia, ſtirpes & belluæ, ipſe & Microcoſmus Homo. Sic eadem corporum omnium anima in diverſis ſpeciebus veluti Protheus deprehenditur. Hæc quippe varias nacta quas agitet moles, variiſque ducta meatibus, varias fingere corporum ſpecies didicit. Hinc multifarios in animalium, ut exemplo ſint, formatione obſervans motus, multiformem componit tubulorum apparatum; proprios ſingulis vindicat liquores & uſibus promovet ſuis. Ita ſibi firmat anima hoſpitium, & animali vitam promeretur.

III.

VEGETANTEM animam nativi cujuſdam caloris humoriſque radicitùs inſiti ſpecimen aſſerebant veterum plures. Ignotis alii facultatibus animati corporis dividebant imperium, & in phyſicis quidquam audere veriti occultas qualitates oggerebant. Vel ſolo tritu vigere corpus & obire munia quidam è priſcis ratus eſt. Jactat Archæum recentior. Plaudit fermentis alter, & animalium ſpirituum copias advocat. Ille fibrarum elaterio clamat, Pæan. Quid plura? ſuo quiſque

4092

pro ingenii modo, vel ut capit Naturæ leges, veritatem delibat : tot enim, quantumvis discrepent vocibus, sententias aliquod veri momentum referre ne dubites. Calor æthereus intimis viventium medullis vel ab ortu insidet. Is primos machinæ animalis afflavit motus & eosdem producit, balsamicum quem sibi continuò elaborat lambens humorem. Hic tenuatus sensim dissipatur, sensim iustaurandus. Sic vita fluxilis jugiter redimitur ; sic nimiùm difflabilis ætherea aura moras experitur vegetando corpori pares. Sapiebant fortè altiùs qui facultatibus litabant. Hi de functionum vitæque causis nulli stetisse videantur sententiæ, quod Naturæ leges nimiùm arcanas prospexerint, tulerintque ante ignorantiam profiteri quàm iniquæ opinioni fidem facere. Hinc more pyrrhonico rursum locutos & empiricam sectantes praxim à scrutandis Microcosmi phænomenōn causis abstinuisse censeas, quod ipsis ad medendum patentium effectuum cognitio satis esse visa sit. Amplissimam ex assiduâ perspiratione, quæ sensum tenuiora fugiunt, effluviorum copiam miratus forsan Erasistratus, indesinentesve oscillantium fibrarum & liquorum in vasis currentium motus pervidens, unicè naturam tritui studere voluit. Nec sanè tritus exulat à corpore, caveas licet ipsi plus æquo tribuere. Obscuriori sub Archæi vocabulo animalis œconomiæ causas nasutior odoravit Helmontius. Nonnihil veri tetigit qui fermenta & spiritus Physiologicæ doctrinæ attulit ; Naturæ tamen non penitus calluit modum. Qui fibrarum agnovit elaterem, ut ut in eo sapuerit, nihilominus omnem non retexit Naturæ angulum. Quæ igitur opiniones tam diversas conciliare valeat sententia ; quæ tot Scholarum lites dirimere cognitio ? Microcosmici *Magnetismi* distincta notio. Subtilior materies, quæ cœlo fluxa omnibus terræ poris allabitur, nullis non usque maritatur moleculis, in quibus sibi poros fingit itûs reditûsque vias. Ita cuilibet corpori suus est *Magnetismus*, ætheris nempe jugis effluxus refluxusque, quo quidquid occurrit homogenei (eâdem ætherei motûs determinatione præditum corpus intelligas) trahat in consortium, omne sed heterogeneum aversetur & eliminet. Ita quantùm proprio æthere differunt corpora, tantæ eorumdem discordiæ ; sed quò major sympathēa, eò minor ætheris repugnantia. Magnetismi virtus in proxima corpora fortior. Hinc ipsorum, prout densiora & compactiora sunt, integrantes moleculæ strictiùs vinciuntur, quòd sub ipso contactu vis attractrix validissima sit, quæ ferè evanescat si particulæ longiùs à se invicem absint. Sed in uno latere ejusdem particulæ validior erit attractionis vis, quàm in alio. Laxioris itaque texturæ corpus si fuerit, alterius Magnetismi virtute faciliùs edomandum & promptiùs resolvendum permittitur. Ne purum adeo nudumque existimes in sublunaribus Magnetismis ætherem. Cogita subtiles sibi sæpius adjungere salium, sulphurum, aut aquæ particulas, quæ suâ figurâ & crassitie, quanta quanta sit, cum pororum dimensionibus proximè quadrent. Hæc corpuscula, quibus personatur æterea materies, extra sui magnetis loculos diffusa, si, quæ ipsius dominium amplient, offenderint moleculas, eas veluti sarcinas ad ipsum reportant. His & fortè aliis Magnetismi legibus aspecta-

bilis mundi facies elucet. Debent iisdem animam quæ vegetant omnia. Sic Microcosmus omnes ab illis mutuatur animæ vitæque modos. Hinc vita Magnetismus.

IV.

RES ad instar miraculi stupenda fœtûs in utero matris apparitio. Neque enim parentum è consilio aut industriâ tam concinna partium dispositio, tam apta, functionum ad necessarias vices, nervorum vasorumque omnis generis distributio peti potest. Proximum illud omnibus & familiare Divinitatis argumentum, easdem quibus cuncta fecit quæ voluit assiduâ virtute leges tuentis. Generationis mysterium ab omni ævo scrutati sunt qui sapientiæ prosecutores haberi voluerunt. Alii germina cœlo volitare dictitant, quæ ubi à muliere devorentur, ad ejus ovarium deferantur, virili semine ad evolutionem excitanda. In animalium seminibus alii, oculis armatis, innumeras vermiculorum viventium copias deprehendisse rati sunt; quibus in uterum projectis, unus, nisi & alter, cæteris pereuntibus superstes ad ovarium fallopianâ tubâ ductus in aliquod sese ex ovis intromittat, sub fœtûs specie modò proditurus. Sed quorsum tot homuncionum milliades unius salutem funeribus solverent suis? Consultiùs etiam sapientem rerum authorem egisse persuasio est, quàm ut ventorum alis animalium species commiserit. Acceptior videtur opinio singulas cujusque generis species, quot jam fuêre, quot sunt eruntque, reipsà in primò-conditæ speciei ovario ad infinitum minutis distinctas partibus extitisse. At operæ pretium Deo opifici fuisse diffidas tot corporum formas finxisse, quæ nisi vel post sex annorum millia evolverentur; totque occultanda sæculis germina parvitatis gradibus ad infinitum variis in tenui germine coaptasse; dum, positis sancitisque Magnetismi legibus, superfluam hanc tam multiplicem industriam tantique moliminis providentiam fore noverat. Porro simplicior, quique minoris operæ videatur modus, sapientissimi conditoris usque placitum fuit. Simplicissimum licet generationis opus, quæ Magnetismi legibus fiat, maximâ adhuc ex parte sapientiæ divinæ arcanum angustis adeo hominum mentibus videbitur. De Hominis generatione quæritur? Cogita muliebre ovarium suis instructum vasis circa pubertatis annos capere incrementum, succorumque alibilium tenuissimas partes ampliandis sensim sine sensu loculis illuc appellere, primum fœtûs nutrimentum futuri. Jam in venereis amplexibus, ut fit cujusque partis Magnetismus vegetior, ita præsertim uteri vicinarumque partium. Hinc, ad fœcundationem non imparatâ fœminâ, exuberantes ab unoquoque corporis angulo spirituosæ particulæ ad genitalia deferuntur: at illæ, in maturioribus ovis à masculini seminis halitu præpollente Magnetismo, alliciuntur ad ista potentiùs; unde blandâ velut exanimatione membra mox laxantur & concidunt. Nulla mora, vivificæ particulæ cientur in ovo discordes, usque dum genialis Magnetismi, pro mole, figurâ, pororum polorumve ratione diversi, propriâ determinatione, eo situ & ordine componantur, ut contractam ejus unde expressi sunt corporis in effigiem concinnentur, parentisque machinæ æmulentur mechanicem.

Jam quemadmodum in typo potior est fibrarum cordis Magnetismus; ita spiritus ab illo decidui, quam modo finxerunt ad consimiles motus cicatriculam, eamdem alacriùs exercent. Hinc tenuis, quo turgebat illa, liquor exprimitur, qui per appensa vascula quærit viam fluendi, quam sensim nactus multiplicem, divisis alveis omnem præterit, singulas partes rore beans novo. Is brevì arescceret, nisi colliquatis ovi humoribus reficeretur: ab his enim ditescit assiduâ scaturigine liquor influens; sicque ab emensis tot canaliculis, circuitu peracto, uberior corculo rependitur. Delineatâ Magnetismi legibus spe sobolis, uteri claustrum subintrat fœcundum ovum. Hujus & uteri membranæ, fœtu simul accrescente, crassescunt & ampliantur, quòd in diem roboretur harumce partium Magnetismus, unde sanguinis succique alibilis pensum uberius attrahitur. Exclúditur non sine matris labore grandior fœtus, simul & validiori vegetior Magnetismo. Quantùm eô succi dissipatur, tantùm ab eodem alimoniæ reposci suis palat infans vagitibus. Lac ipsi materno ab ubere sugendus est, donec illud nutrimenti genus flammæ vitali minùs sufficere videatur. Labor ille, quo solidiora alimenta in cremorem sublacteum solvuntur, chyloseos & digestionis vocibus nuncupatur. Quonam hæc naturæ molimine succedat quæris? in promptu est. Nullâ profectò acidi fermenti corrosione, nullo solidæ molis quassu, vel ossa duriora Papiniano experimento videas citò colliquari, dum ignis particulæ aqueas moleculas, totidem cuneos in ossium porulis impactos, eo cient Magnetismo qui vim attractionis, quâ mutuò densi corporis partes nectebantur, retundat & suo jure defraudet. Papinianæ machinæ non dispar officio ventriculus nullam tritûs vim nisi quæ Magnetismo debeatur, nec aliud ab æthere particulis salivæ naturam æmulantibus armato fermentum ad alimentorum solutionem requirit. Hujus enim virtutis est tale fermentum, ut in pororum solidioris etiam alimenti cuniculos adactum magneticas particularum catenulas facili operâ discriminet & vim soliditatis fere omnem expungat. Quæ pars chyli crassior primæ in ventriculo coctionis laborem effugit, ad gracilis intestini caput effusæ bilis actione à tenuiori secedit, dum hujusce chyli particularum cohærentia tenacitasque, quâ sese adhuc plusculùm attrahebant, affuso bilis menstruo satis dirimitur, ut à liquore minùs æquilibrentur ramenta crassiora, sicque proprio pondere in fæces abeant. Hinc chylus iterum succo Pancreatico dilutus lacteas venas subit; inde ad commune receptaculum delatus jamjam emetitur thoracicum canalem, atque sanguinis fluento excipitur. Lacteus hic liquor suo dives magnetismo liquidi cruoris ætheri diu reluctatur, & distendendis matrum uberibus, ubi lac audit, par est. Luctæ tamen non sustinet longiores moras, sed in sanguinem domitus facessit. Hujus veluti Magnes Cor, expansionis & contractionis alternis motibus, ipsum ad partes assiduò propellit & excipit redeuntem. Sanguinem quæ componunt moleculæ diverso fruuntur aliæ ab aliis Magnetismo, unde quantulùm per motum progressionis vacat, fermentant. Sic proprio sanguis igne depascitur, idemque radiis è vasorum fibris suo æthere oscillantibus, dum præterfluit, interceptis subigitur. Hinc san-

guis secretionum fons uberrimus singulis proprium colis humorem suppeditat. De secretionis artificio quid interrogas? succum humori secernendo analogum à formationis exordio in glandulis extitisse cogites. Is peculiari quem spirat æthere sibi congeneres è sanguinis rivulis moleculas attrahit; quæque diversum sortitæ sunt ætheris impetum, repellit. Sic charta emporetica oleo priùs imbuta oleum sponte, nec aquam percolat; sed aquâ si maduerit ante, aquam nec oleum suis meatibus excipiet. Ita renes seri, bilis hepar, nata cola. Eâdem Magnetismi mechanicâ suam medullam sibi cerebrum comparat: scilicet succum alendis nervorum propaginibus, fibrillisque assiduò reficiendis idoneum. Hic particulis oleoso & urinoso volatilibus è sanguine detritis, seroque puriore conflatus, humidi primigenii voce olim veniebat. Is ubi fibrarum subiit ostiola & illarum vesiculas distendit, inibi morando concipit vividum ætherem, qui calor insitus dicebatur, cujus actione principiorum dissolutionem tandem patitur, atque in perspirationis insensilis materiem, jugiter renovandus, absumitur. Ecquid de animali spiritu sollicitus es? Hunc fingunt è sanguine in excogitatis cerebri glandulis secerni, mox in commune receptaculum, quod emporium nuncupant, confluere; unde, quà data porta, nervorum in tubulos ruant, ad quaslibet motûs & sensûs provincias dimissi. Ingeniosum Ædepol commentum! neque enim peculiares in cerebri substantiâ spiritibus colandis, qui secretionum ipsi sunt parentes, dicari glandulas verosimile appareat. Sed, quos pleno decurrant flumine nervorum tubulos, autopsia nullos esse jamjam asserit. Nervi structura, fibrarum textura. Hæ, vesicularum mutuo insertarum osculo catenulæ. Quid motûs & sensûs causas inquiris? succus in fibrarum vesiculis qui continetur, ipsas suo, quo liquet, æthere dum quatit, ad oscillandum sive resiliendum instigat. Jam si quis accidit ab objecto sensibili in alicujus organi fibrillas impetus, ad hujus modum spontanea divertitur oscillatio, iniquiores enim æther insitus reperit poros, ideoque quò sensim renititur minùs, nempe ad cerebrum, traducitur vibratio. Sed, quemadmodum ab extremis vesiculis pendet ad nervi principium producta, quæ sensum defert, oscillatio; sic à liquore nerveo, comprimente meningum particulâ, in fibrillas fortiùs adacto motûs animalis instinctus oboritur. Hîc succi, illic fibrillarum præpollet, qui vibrationem concitat, æther. Sic itaque sensum & motum Magnetismo tribuas.

V.

ETIAM post mortem corpus Magnetismo revivifcere posse quodammodo defunctorum supra tumulos evanida spectra cœlo aperto pacatoque sub aëre sæpius noctu visa nonne comprobant? Quid enim hæc opineris stultè credulus ipsas esse demortuorum animas, vel ficto corpore larvatos Dœmones? Quin satiùs judices ab omni, dum corrumpitur, cadaveris parte manantes halitus eo nexu & ordine ab insitis Magnetismi viribus disponi, ut aliquali cohærentiâ tenues in auras non ita facilè dissipentur, umbramque, quasi manes, referant? Quidni ergo fieret animalis, in utero fœminæ, formatio? Hæc nihilò Naturæ operosior

quàm plantarum tot fide dignis ab authoribus testata Palingenesis, chymicæ artis sagacitate revelata. Mirùm quot edat quasi miracula Magnetismus! Pol, ab irregulari motu magneticis tenelluli fœtûs particulis maternâ imaginatione impresso qualia monstra nata sunt! Stupenda sympathiæ & antipathiæ nominibus recensita passim ab authoribus phœnomena Magnetismo meliùs accenseas. Hunc adeo suis in operibus observat Natura, ut cum eodem ipsam ididem consonare credideris. Esto, quis intelligit, Magnetismum qui nescit, cur ad aurum fertur hydrargirus, cur Magnes ferrum attrahit, &c? Diversas causas tenes? edissere. Amuletorum insuper, venenorum, specificorumque remediorum tot retro sæculis compertas & expertas vires enuclea. Incassum obloqueris; rixari desine: suum inesse cuilibet corpori Magnetismum fateare, sed in vegetantibus & animalibus præsertim vividum; nec cujusque modò partis peculiarem, sed totius etiam corporis universalem agnoscito, qui perspirationis insensilis voce apud Medicos audit. Hujus materiem penè innumeris partium integrantium Magnetismis spiritascentes moleculæ ab ipsis detritæ partibus tantâ copiâ sufficiunt, ut præstent secretionem omnium longè uberrimam. Hæc perspirationis materies tantulùm cum ambiente aëre misceri commoratur & eundem arcet aliquatenus, simulata vorticem, dum æther sincerior ab aëris intercapedinibus expressus per accommoda spiracula corpus intro meat, eâ quantitate quæ particularibus Magnetismis debebatur. Hujus porro Magnetismi non idem est in singulis hominibus modus; sed alter alteri magis minusve consonat & adblanditur. Inde cur hominem non priùs visum sponte diligas, averseris alium, non absurda fortè ratio. Jam quod sua quemque trahit voluptas aut natus horror abigit, malè arguunt culpantve fata. In causâ est Magnetismus. Quibus hic viget, res jucundas; quibus ligatur & vincitur, invisas, ingratas exhibet. Hinc par delectatur pari, nec iniqua connubia mutuus amor beat. Quin etiam concupitâ venere speratisque voluptatibus, ob adversas magnetis utriusque vires, non raro se frustrari queritur conjugum par insolens, & iniquo datum jugo. Hos spectat neutiquam istud Lyrici,

Felices ter & amplius
Quos irrupta tenet copula, nec malis
Divulsus querimoniis
Supremâ citiùs solvet amor die.

At carptus igne cœco puellam deperis, quæ tui fastidiosa indignantem alterum sequitur? Ita fit, ita ludit cupido.

Insignem tenuit fronte Lycorida
Cyri torret amor, Cyrus in asperam
Declinat Pholoën...

Hei malè, quòd te deliniat Magnetismus puellæ quæ minùs recreetur tuo, sed pelliciatur ad alterum potentiùs. At infidam arguis amicam? Alterius numquid adulteri Magnetismus illecebras suaviores obtulit.

Sic ferrum ab impari Magnete ad validiorem refugere cernitur. Tanta eſt in Naturâ Magnetiſmorum æmulatio ! Quid plura Microcoſmici Magnetiſmi argumenta poſtulas ? Hunc univerſalis Magnetiſmus, (Naturam dicunt) veluti ſobolem mater, aſſiduò fovet & reficit. Hinc tamdiu vegetans anima patente cœlo eget, quandiu vitæ ſatis eſt. Sed tamdiu vita conſtat, quàm valet diu vegetans anima congenerem ætherem attrahere, nec ab eodem ipſa diſtrahi.

Ergo Vita Magnetiſmus.

Domini Doctores diſputaturi.

M. Raymundus Jacobus Finot.	*M. Ludovicus L'Emery, Regiæ Scientiarum Academiæ Socius, & Chirurgiæ Profeſſor.*	*M. Philippus Hecquet, Decanus.*
M. Philippus Bernardus de Bordegaraie.	*M. Petrus le Tonnelier.*	*M. Joannes Bapt. Chomel, Regiæ Scientiarum Academiæ Socius.*
M. Jacobus Simon Gilles de la Riviere.	*M. Joannes Gaillard.*	*M. Andreas Creſſé.*

A ſextâ ad meridiem.

Proponebat Lutetiæ JOANNES FRANCISCUS GIOT, Conſtantienſis, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. M. DCC. XIII.